

Theol.

549

549

THESES
EX
UNIVERSA THEOLOGIA
CANONICO-SCHOLASTICA
JUXTA
MIRAM DOCTORIS ANGELICI
DIVI

THOMÆ
AQUINATIS
DOCTRINAM, AC ORDINEM,
QUAS
FRATRES DISCALCEATI

B. V. MARIAE

DE MONTE CARMELO

COLLEGII AUGUSTANI

PUBLICÆ DISPUTATIONI EXPONUNT
IN ECCLESIA AD SS. SACRAMENTUM

Anno 1760.

Die 5 Augusti boris 8vā ante- & 2dā pomeridiana
CUM LICENTIA SUPERIORUM.

Typis Josephi Antonii Labhart p. m. Viduæ, Reverendiss. ac Sereniss. Princ.
& Episc. August. Typographæ.



Ex Prima parte.

1. **T**heologia, quæ quoad Substantiam accepta Ecclesiæ simpliciter necessaria est, quoad methodum valde utilis, 2. Habet rationem scientiæ, et si naturalis tantum. 3. Ejus Principia, quibus innititur, sunt Loci Theologici, 4. Objectum verò, circa quod versatur, est Deus sub ratione Deitatis, 5. Quæ Metaphysicè spectata consistit in intelligere primordiali actualissimo. 6. Attributa DEI nec à se invicem nec ab essentia, nec à Relationibus distinquentur formaliter ex natura rei, sed virtualiter: 7. Qualiter tamen nec immensitas ab omnipotentia, 8. Nec omnipotencia à Scientia differt, 9. Hinc in sensu causali verum est dicere: futura sunt futura, quia ea scit Deus, 10. Qui certò, & infallibiliter cognoscit omnia futura tam absoluta, quam conditionata, non per scientiam medium in se ipsis, 11. Sed in essentia sua ut affecta per Decretum actuale, & intrinsecè efficax, 12. Per quod absque ulla libertatis læsione omnes actus liberos voluntatis creatæ bonos, ac malos proportionabiliter prædefinit. 13. Datur in DEO voluntas antecedens sincera salvandi omnes, 14. Ex qua omnibus adultis non tantum offeruntur, sed & conferuntur auxilia ad salutem sufficientia, 15. Et Christus pro omnibus mortuus est. 16. Actus liber Voluntatis divinæ non distinguitur ab actu necessario, nisi penes connotatum. 17. Prima electio ho-

minum ad gloriam etiam ut Coronam est ante prævisa merita, 18. Uti & Reprobatio negativa ante prævisa demerita. 19. Mysterium Trinitatis rite probatur ex I. Joann. c. v. 7. 20. Verbum est verus Deus per Essentiam, Patri consubstantialis. 21. Vox ~~quæ~~^{quoque} patribus Ante-Nicænis cognita à Patribus Nicænis rectè fuit adoptata ad reprimendam Arii hæresin, 22. A qua Liberum SS. PP. vindicamus. 23. Etiam Spiritus S. est Verus Deus procedens à Patre, & Filio, ita ut si ab hoc non procederet, realiter non distingueretur ab eo. 24. Post Deum in hoc universo dantur Angeli solò numerō immultiplicabiles.

Ex Prima 2dæ.

25. Ultimus hominis finis, ac beatitudo ejus obiectiva tantummodo potest esse Summum, ac infinitum bonum, 26. Cujus assolutio formaliter, & unicè fit per actum intellectus; scilicet per visionem Beatam, 27. Quæ non differtur Beatis usque ad extremum Judicii diem, vel usque ad mille annos ex eo die elapsos, 28. Nec in hac materia unquam positivè à nobis dissentit Joannes XXII. etiam ut Doctor privatus. 29. Finis ultimus peccatoris est bonum proprium communissimè sumptum, connotans privationem gratiæ, 30. Finis vero ultimus justi venialiter peccantis est ipse Deus. 31. Præter peccata personalia datur insuper peccatum originale, 32. A quo etsi prorsus immunis fuerit B. V. probabilius tamen non caruit proximò illud contrahendi debito: & hæc sententia magis favet immaculatæ ejus Conceptioni, quam opposita. 33. Existit purgatorium, in quo Animæ justæ pro peccatis veniali-

bus, nec non mortalibus neandum quoad poenam
satis expiatis temporaliter puniuntur. 34. Homini
à Natura inditum est jus Naturæ , cuius Principia
primaria per se sunt manifesta , secus Principia secun-
daria , 35. Quorum perfecta cognitio nequit habe-
ri sine Regula quadam extrinseca infallibili , 36. In
Cujus defectu quemadmodum circa sententias con-
troverfas non possumus unquam sequi partem minùs
probabilem , minùsque tutam in conspectu probabi-
lioris , ac tutioris , 37. Ita nec semper debemus am-
plete tutorem. 38. In statu Naturæ lapsæ admit-
tendā est gratia purè , verè tamen sufficiens , 39.
Quam Nulla lege Deus statuit dare facienti , quod
est in se , præcisè viribus naturæ.

Ex IIda IIIdæ.

40. **S**ymbolum Apostolorum ab ipsis Apostolis ,
uti & Symbolum S. Athanasii ab eodem fuit
compositum. 41. Homo , cui certò revelaretur
æterna sua damnatio , non posset Theologicè spera-
re suam salutem. 42. Præcepto Charitatis non sa-
tisfit per amorem formaliter interessatum. 43. Ju-
dex nequit absolvere innocentem , qui probatur no-
cens , etiam in causa capitali , 44. In qua itidem
reus legitimè interrogatus tenetur ad Criminis con-
fessionem , 45. Quamvis hæc Confessio ad Rei con-
demnationem non sit absolutè necessaria , sed suffi-
cient præsumptiones violentæ . 46. In Causis civili-
bus Res judicata non facit Victorem tutum pro
foro interno , si ex post injustitia sententiæ manifestè
appareat. 47. Contractus tam stricti juris , quam b. f.
non sunt ipso jure nulli per hoc , quod eis dolus ac-
ciden-

cidentalis causam dederit, nisi contrahens intentio-
nem suam actualiter prætensæ qualitati alligârit. 48.
In solennis alienatio rei ecclesiasticae uti subsistit pro
foro interno usque ad rescissionem Judicis, ita & pro
foro externo Sanari potest per præscriptionem 40.
Vel 100. annorum respectivè. 49. Ad hanc aliena-
tionem Prælatis Ecclesiasticis prohibitam reducimus
quoque repudiationem hæreditatis, Donationis, le-
gati &c. ecclesiæ relicti. 50. Præscriptio licet non
sit juris naturalis, valet tamen pro foro conscientiæ,
dummodo b. f. fiat, 51. Quam non statim tollit
scientia juris alieni, 52. Hinc debito indefinitè con-
tracto præscribi potest spatio 30. annorum, 53. Se-
cūs juri luendi pignoris. 54. Usuræ mérè lucratoriæ
quovis jure sunt prohibitæ, ac proin nec per con-
suetudinem, nec per statutum Principis deficiente
alio justō titulo possunt fieri licitæ, 55. Per quod
tamen neutiquam reprobamus notoriam germaniæ
praxin in censu 5. pro 100. annuatim recipiendi, 56.
Econtra regulariter usurarium est pactum antichre-
ticum, & legis Commissoriæ contractui pignoratitio
adjectum. 57. Damnum ex culpa mérè juridica, aut
levi Theologica datum non tenetur quis resarcire in
conscientia ante Judicis sententiam, utut præcesserit
obligatio ex contractu, vel officio præcavendi hoc
damnum. 58. Decimæ in Thesi sunt juris divini,
unde & Novalia debentur Parocho, non privilegia-
to. 59. Juramentum promissorium, in quo verè
datur pavitas materiæ, 60. Adjectum actui præcisè
per jus positivum intuitu privati commodi irritato
eundem convalidat tam de Jure Canonico, quam
Civili. 61. Simonia Juris divini naturalis est dare,
vel promittere pro spirituali temporale, si hoc ha-

beat rationem mercis, pretii, compensationis, aut
motivi principalis. 62. Datur in Ecclesia status, ac
hierarchia & inde fluens potestas regendi, leges com-
munes ferendi &c. 63. Quæ potestas simpliciter
est Monarchica, residetque in solo SS. Pontifice. 64.
Episcopalis jurisdictio licet secundum se in genere, ac
in thesi sit immediatè ab ipso Christo, spectata quo-
ad modum, in specie, ac in hypothesi ab ejus Vica-
rio SS. PP. descendit. 65. Jus Sacrorum non com-
petit Principibus laicis; idcirco falsum est illud Po-
liticorum: Ejus est Religio, cuius est Regio. 66.
Coelibatus Clericorum et si jure divino non sit anne-
xus S. Ordinibus, est decentissimus juxta, ac anti-
quissimus, 67. Ita ut jam ante Siricum SS. PP. Sæc.
circiter IV. Sacerdotibus, & Diaconis, imo & Sub-
diaconis præcepta fuerit continentia. 68. Clericus
Minorista contrahens matrimonium ipso facto amittit
beneficium. 69. Inde potiori jure Reservatum
Ecclesiasticum jam ante pacem Westphalicam erat
æquissimum: 70. Pluralitas beneficiorum in thesi
est Jure divino, & naturali prohibita, hinc nec per
consuetudinem potest fieri licita, nec per dispensatio-
nem SS. PP. absque justa causa obtentam permissa.
71. Concordata Germaniæ obligant in Vim pacti, &
contractus, cui nec PP. Ordinariè derogare, nec
Natio Germanica liberè contravenire valet, 72. Po-
test tamen iis opponi consuetudo, aut præscriptio
immemorialis. 73. Annatarum reservatio non est
Simoniaca mercatura Avaritiæ Pontificiæ, nec no-
vum Diaboli inventum, novaque ecclesias emungen-
di methodus: 74. Earum usus jam pridem ante Jo-
annem XXII. & Bonif. IX. in ecclesia viguit, nec in
Concilio Constantensi, aut Basileensi fuit abroga-
tus

tus. 75. Primæ preces, quas adhuc pro reliquiis investiturarum per Baculum, & annulum habemus, convenient Soli Imperatori, & Regi Romanorum partim ex consuetudine ab Ecclesia tacitè, vel expressè approbata, partim ex indulto SS. PP. non tantum in Ecclesiis Catholicorum, sed & Protestantium, in quibus Imperator anno Normali 1624. 1. Jan. pacificam juris hujus possessionem tenuit 76. Clerici sunt Domini bonorum superfluorum prospectu etiam ecclesiæ acquisitorum, licet ea ex præcepto ecclesiastico in pauperes erogare teneantur, 77. Potest item induci consuetudo permittens Clericis validè, & licetè testari ad causas profanas.

Ex III. Parte.

78. **R**ecte ex Vaticinio Jacob Gen. 49. 79. Et Prophetia Danielis C. 9. probatur adventus Messiae, 80. Qui est Jesus Christus Filius Mariæ Virginis, 81. Verus quidem Deus, & homo, unica tamen persona, 82. Unde præter duas Naturas in eo dantur duæ voluntates, quas Honorius I. nunquam negavit. 83. Mortuus est pro peccato, pro quo utpote simpliciter infinito 84. Pura Creatura non potuisset satisfacere. 85. Sacraenta causant gratiam ex opere operato non moraliter propriè, sed physicè, 86. Baptismus fictè suscepitus receidente fictione causat primam gratiam, secus alia Sacraenta Characterem non imprimentia. 87. Baptismum validè conferri hæreticis, S. Stephanus semper existimavit tanquam de fide, non vero S. Cyprianus. 88. Concilium, in quo hanc controversiam finitam testatur S. Aug., probabilius fuit Nicanum.

cænum I. 89. Materia remota Confirmationis est Chryisma. 90. Sacrificium Missæ essentialiter consistit in consecratione, & sumptione simul, 91. Estque valoris simpliciter infiniti. 92. Ad Sacramentum pænitentiæ sufficit attritio supernaturalis, 93. Nec req. expositio Circumstantiarum notabiliter aggravantium maximè in sententia S. D. 94. Oleum Olivarum, quod est materia extremæ unctionis, potest esse à simplici sacerdote ex commissione Episcopi benedictum. 95. In Ecclesia præter hierarchiam jurisdictionis admittenda est hierarchia Ordinis. 96. Minister Matrimonii non est Sacerdos, sed Contrahentes, 97. In eo ratio Sacramenti inter fideles non est separabilis à ratione contractū: 98. Nec potest iniri sub conditione de futuro propriè tali, 99. Aut sub pacto servandæ perpetuæ castitatis. 100. Suspendit tantum, neutquam penitus dissolvit sponsalia præcedentia cum tertio inita.

Feliqui Iherosolim
Catharinæ a benoys
evidenter à deinfale,
et doctrina S. Thomæ.

O. A. M. D. G.

